

nis officii, vocisque activæ, et passivæ ipso jure incurrenda, a Superioribus localibus sunt quotannis mense Januario in publica Religiosorum Congregatione; vel saltem in publica mensa perlegendæ. Non obstante quod plures Doctores apud Hyacintum Donatum tract. 15, de largitione munerum velint præfatas Bullas usu non esse receptas.

(46. Quoad quantitatem donandi, jure positivo civili specialiter prohibita sunt duo genera donationum, scilicet donatio omnium bonorum, et donatio liberalis excedens 500 solidos absque insinuatione facta. (47. Donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum, mobilium, et immobilium prohibetur; et irritatur expresse in l. *Stipulatio hoc modo* 61. ff. de verbor. obligat. quia talis donatio aufert facultatem testandi, quod jure civili indecens, ac Reipublice noxium censetur; (48. Cessante autem hac ratione, donatio valebit in utroque jure, et foro. Hinc valida est donatio omnium bonorum præsentium, quia non adimit sibi donator potestatem testandi de futuris; Julius Clarus q. 19, num. 2. Covarr. lib. 3, variar. c. 12, n. 4. Lessius loco cit. n. 94. Sporer loco cit. n. 56. et alii passim. (49. Sic etiam valida est donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, excepto usufructu, quia eo ipso, quod excipiuntur fructus percipiendi, poterit donator testari de iis, quos ante mortem perceperit; Lugo tom. 2, disp. 23, sect. 10, num. 166. Molina disp. 280, num. 8. et alii. (50. Item valida est donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, mortis causa facta, quia hæc non adimit testandi facultatem, cum sit revocabilis; ex § 1. *Instit. de donationib.* et l. 32, ff. eod. Molina tom. 2, disp. 280. Lugo loco cit. num. 166, et alii.

(51. His adde quod in duobus casibus est valida donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum, quamvis adimatur donatori testandi facultas. Primus casus est, quando inter vivos fit talis donatio Ecclesiæ, vel ad aliquam piam causam, quia jus Civile non potest restringere Officia pietatis, et Consilia Evangelica arg. *Ecclesia S. Mariæ* 10, de Constitut. Talis autem donatio est officium pietatis, et Consilium Christi Matth. 19, ibi « Vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus. » Et sic communis Doctorum sententia cum Molina loco cit. Covarr. Rubr. de testamentis part. 2, num. 13. Sporer loco cit. num. 56. Lessio loco cit. num. 95. (52. Secundus casus est quando talis donatio cuicumque facta juramento confirmatur, quia adimere sibi facultatem testandi per donationem omnium bonorum, servatis sibi solum alimentis necessariis per se malum non est, sed potest esse opus bonum ex bono fine; alioquin, nec consuleretur a Christo, nec acceptaretur ab Ecclesia talis donatio, si esset per se mala, et pernicioiosa. Unde cum absque ullo peccato possit quis omnia sua donare, si juramento promittat se non revocaturum, valet donatio, ut aperte colligitur ex cap. *Quamvis pactum*, de pactis in 6. Sic Molina,

Lugo, Sporer, locis citatis contra aliquos Jurisperitos.

(53. Donatio liberalis excedens 500 solidos est invalida quoad excessum, nisi fiat cum insinuatione; § *Alia autem* 2. *Instit. de donationib.* et arg. l. *Sancimus* 34 et l. penultim. in fine ff. de donat. Quod ideo statutum est ne excessivis donationibus cives cum detrimento Reipublicæ ad egestatem redigantur, et ut fraudibus in donatione magnæ quantitatis obvietur. (54. Hinc si quis sine insinuatione donet pluribus summam excedentem 500 solidos, donatio illa quoad excessum est invalida si simul et quasi uno animi impetu fiat; si tamen diversis temporibus animique motibus fiat, est valida; desumitur ex l. *Sancimus* 34. C. de donationib. § 4. Ita Lessius loco cit. n. 97 et alii. (55. Si quis debitum aliquod liquidum summam 500 Solidorum excedens remittat, invalida est remissio quia remissio est instar donationis; Jul. Clarus qu. 16 n. 1. Lessius loco cit. n. 98 et alii. In quibus autem casibus valeat donatio excedens 500 solidos, vide art. anteced. a num. 31 usque ad 38.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

56. Sunt præter adductas ab Auctore et aliæ personæ, de quibus quæri potest an possint nec ne donare. De Clientibus quæstio est, an fervente lite possint donare Advocatis, Procuratoribus, aliisque similibus litis administris. Negant Charondas lib. 7. Respons. 166, aliique apud Wesel ad Novell. Constit. Ultraject. art. 15, n. 11, idque quia talis donatio extorta præsumenda est magis metu litis talis perperam administrandæ, quam liberalitatis gratia. (57. At Voet. in comment. ad Pandect. lib. 2, tit. 14, n. 18. « Quum in dubio (inquit) quisque bonus credatur, neque metus in liberalitatibus, ultimisque elogiis, aut contractibus, præsumatur, verum probandum sit, tamquam delictum etc., neque ad eo patronorum penuria laborent nunc Tribunalia, ut a patrono causam desertum iri jure Clientis metuat, possitque facile sinistri quid suspicatus, eo derelicto, alteri minus suspecto committere suæ litis tutelam, non aliter horum opinio probanda videtur, quam si provido Judici ac circumspecto sufficientia ex variis circumstantiis obvia fuerint indicia circumventionis, et extortæ liberalitatis signa. Quis enim iverit inficias, ipso litis tempore infinitas intercedere posse donationes, legatim a Cliente in Patronum conferendi causas, nullum habentes cum lite continentiam, aut communionem? (58. Neque obstant verba generaliora in dict. leg. 6, Cod. de Postulando, quasi omnis conventio interdicta esset, quum potius convenienter aliis legibus supra adductis accipienda sint de istis conventionibus, quæ malo more de quota litis; aut palmario pendente lite aut probrosa litis redemptione vetitæ erant celebrari. » Et inter alios conveniunt Henry in collect. Arrest. tom. 2, lib. 4, quæst. 55. Wesel ubi supra n. 13 et 14.

(59. Quod de Clientibus respectu Advocatorum, Procuratorum et aliorum similitum litis administratorum dictum est, id obtinet

etiam de ægrotis respectu Chirurgorum, et Medicorum, nam et ægroti donare possunt Chirurgis, et Medicis durante morbo; « Quæ sententia (ita recte ait idem Voet. loco mox citato num. 16.) moribus hodiernis tanto magis conveniens, quo honestioris plane loci nunc nostrates sunt Medici, quam olim Romani, sæpe servi, sæpe vilissimi, rapinarum, direptionum, concussionum, scelerumque similibus infamia laborantes, et ob id non ab omni timoris inferendi suspitione immunes. »

(60. Confer etiam Zoef. in Pandect. lib. 2, tit. 14, num. 20. Fachin. controvers. lib. 2, cap. 25.

(61. De pœnitentibus quoque disputari solet, an donare possint Confessariis. Negant Ricard. de donat. part. 1, num. 516. Rousseau de la Combe in sua Jurisprud. Canon. verb. *Donatio*, modo non agatur de donatione parvi momenti, vel remuneratoria. (62. Quinimo idem locum habere, etiamsi donatio fiat Conventui, vel Monasterio, vel alteri Communitati, cujus est Confessarius, tenent Auctores ibid.

ARTICULUS III.

Donatio quoad ejus revocationem.

(1. Donatio inter vivos semel legitime facta, et acceptata, regulariter loquendo non potest amplius revocari per Donatorem, textu expresso in leg. ult. Cod. de revocand. donat. ibi: « Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas, illibatasque manere; » (2. Et sic firma remanet talis legitime inter vivos facta donatio, ut nec rescriptum Principis revocari valeat, textu expresso in leg. *Si donationem* 5. Cod. eod. ibi: « Si rite fecisti, hanc auctoritate rescripti nostri rescindi non oportet. » (3. Ab hac tamen regula excipiuntur tres causæ principales, ob quas Donatio revocari potest, scilicet, ob ingratitudinem Donatarii, ob prolem postea susceptam; et si Donatio sit inficiosa liberis.

(4. Prima causa, quod scilicet donatio revocari possit ob ingratitudinem Donatarii, habetur expresse ex cap. *Propter* 10, de donationibus, ibi: « Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore juris eam poterit revocare, » et leg. 1. *Cod. de revocand. donat.* ibi: « Si ingratus sit, omnis donatio, mutata patronorum voluntate, revocanda est; » et concordat leg. ult. Cod. eod. ubi quinque enumerantur casus, in quibus a Donatario censetur committi ingratitudo sufficiens pro facienda revocatione Donationis. (5. Primus casus est, si Donatarius manus impias, ac violentas in donatorem injecerit; cit. leg. ult. et cit. cap. *Propter*. ibi: « Si forte in ipsum impias manus injecerit. » Dicitur autem quis manus impias, ac violentas injicere, sive manibus, sive pedibus, sive per lapidem, sive per fustem, vel rem aliam, et sive per se, sive per alium id fiat, juxta leg. Non solum 11, in princip. ff. de injuriis; dummodo percussio sit graviter injuriosa, et non

sine culpa mortali; quia si quis pro patria, vel propria, vel proximi justa defensione Donatori manus injiceret, ingratus dici non posset, nec esset locus revocationi Donationis, quia ubi non est culpa, nec pena inferri debet. Sic etiam talis ingratitudinis reus non esset Donatarius, si ex ignorantia, vel casu id faceret; tunc enim deesset animus injuriandi, seu offendendi Donantem, sine quo animo non inferitur injuria; leg. 2, § 1, ff. de injur.

(6. Secundus casus est, si Donatarius in Donatorem injurias atroces effundat; cit. leg. ult. et cit. cap. *Propter*, ibi: « Si injurias atroces inferre præsumperit. » Quenam autem sit injuria atrox, relinquatur judicanda arbitrio Judicis ex facto, loco, qualitate personæ tam injuriantis, quam injuriatæ, aliisque circumstantiis; § *Atrox*, *Instit. de injur.* Atrox injuria potest fieri vel verbis, v. g. verbis graviter contumeliosis, ac injuriosis eum afficiendo, vel facto (absque tamen manuum injectione, quia tunc ad primum casum talis injuria pertineret) v. g. si Donatorem captivum teneat, ut notat Abbas in cit. cap. *Propter* 10, de donationib. arg. cap. Nuper 39, de sentent. excommum. Molina disput. 281, num. 1. Vel si adulterium cum uxore Donatoris, aut stuprum cum ejus filia committeret, ut notat Pirhing lib. 3. Decretal. tit. 24, n. 34. Reiffenstuel ibid. n. 53.

(7. Tertius casus est, si Donatarius grave damnum inferat Donatori in rebus, seu bonis suis externis; cit. l. ult. et cit. cap. *Propter*, ibi: « Si donatori grave rerum suarum damnum inferre præsumperit. » Quale autem sit grave damnum, Judicis arbitrio, judicandum relinquatur, spectatis facultatibus Donatoris, aliisque circumstantiis. Non sufficit tamen ad revocandam donationem, quod Donatarius attentarit inferre grave damnum, sed requiritur, ut re ipsa tale damnum sit illatum, quia lex concedens revocationem est pœnalis; cujus verba sumi debent cum effectu; argum. cap. *Hæc autem verba*, dist. 1. de pœnitent. ibi: « Quid enim obfuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum? » Molina loc. cit. n. 2. Pirhing loco cit. n. 34. Reiffenstuel loco cit. n. 55.

(8. Quartus casus est, si Donatarius grave periculum vitæ Donatori inferre præsumperit; etiamsi mors secuta non fuerit; quia Jura in hoc puncto ob solam attentionem, seu positionem periculi, etiam effectu non subsequuto, facultatem revocationis concedunt expresse ut colligitur ex cit. l. ult. et ibi Glos. verb. *Periculum*, Abb. in cit. cap. *Propter*, num. 2. Molina l. c. Reiffenstuel l. c. num. 56.

(9. Quintus casus est, si Donatarius conditiones in donatione impositas, et a se acceptatas nolit adimplere, si v. g. pensionem annuam, cui se obligavit, nolit solvere; cit. leg. ult. de revocand. donat. ibi: « Si nempe quasdam conditiones, sive in scriptis donationi impositas, sive sine scriptis habitas, quas donationis acceptator spondidit, minime implere voluerit? » Hic casus tamen

non ponitur in cit. cap. *Propter* 10. de donationib. quia, ut ibi recte advertit Abbas, non tam ob ingratitudinem, quam ob non impletam conditionem revocatio conceditur; Pirhing loco cit. n. 34. Reiffenstuel loco cit. n. 57.

(10. Præter hos quinque casus in jure expressos volunt varii Doctores dari alios con-similes, in quibus ob majorem vel æqualem ingratitudinem possit revocari donatio; uti est, si donatarius qui donationem magnam a donatore accepit non eum alat inopia pressum, cum necare censeatur is, qui alimenta denegat; leg. 4. ff. de liberis agnoscendis.

(11. Contraria tamen sententia est juri conformior adeoque in praxi tenenda, textu expresso in cit. leg. ult. de revoc. donat. ibi: « Ex his tantummodo (quinque enumeratis) causis, si fuerint in iudicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ etiam donationes in eos factas everti concedimus; » et sic clare stat, quod ad alios casus contra expressum Juris textum non sit extendenda facultas revocandi donationem: Eo vel maxime, quod lex pœnalis, qualis est ista, non debet, nec potest extendi ad casus in Jure non expressos, etiam ob paritatem, vel majoritatem rationis, ut tenet communis; arg. leg. 40. ff. de pœnis, et regul. 15. Juris in 6. ibi: « Odiâ restringi, et favores convenit ampliari, » et regul. 49. eod. ibi: « In pœnis benignior est interpretatio. »

(12. Donator probare debet in iudicio ingratitudinem Donatarii, si ob illam revocare vult factam donationem; Non enim donatio revocatur ipso Jure ex prætensa ingratitudine Donatarii, sed solum post probatam in iudicio talem ingratitudinem, et latam super ipsa sententiam iudicis; textu expresso in cit. leg. ult. ibi: « Si fuerint in iudicio dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ; » Molina loco cit. n. 5. Pirhing loco cit. n. 36. Reiffenstuel loco cit. num. 61. (13. Potestas revocandi donationem ob ingratitudinem competit soli donatori, et non transit ad ejus hæredes et solum contra donatarium, et non contra ejus hæredes. Est communis quoad utramque partem, et prima pars habetur expresse ex cit. cap. *Propter* 10. de donat. ibi: « Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores, » et cit. leg. ult. ubi etiam secunda pars probari videtur sequentibus verbis: « Hoc tamen usque ad primas personas tantummodo stare censemus, nullam licentiam concedendo donatoris successoribus, etc., etenim si ipse qui hoc passus est, tacuerit, silentium ejus manet semper, et non a posteritate ejus suscitari concedatur, vel adversus eum, qui ingratus dicitur, vel adversus ejus successores, » concordat, et utramque partem probat leg. *His solis* 7. § *Actionem*, ff. eod. ibi: « Nec in hæredem datur nec tribuatur hæredi. » Et ratio est, quia jus seu facultas revocandi donationem competit donatori ob injuriam acceptam a donatario, actio autem injuriam inferentis nec hæredi Donatoris, nec in hæredem donatarii datur, sed morte tum ejus, cui injuria facta est, tum injuriam inferentis extinguitur; leg. In-

juriarum 13. in princip. ff. de injuriis, ibi: « Injuriarum actio neque hæredi, neque in hæredem datur; » et leg. Sancimus 22. Cod. de pœnis, dicitur quod Peccata tenent suos Auctores; adeoque nec donator, mortuo donatario, potest revocare donationem, nec hæres, sive successor donatoris potest rem donatam repetere ab hærede donatarii defuncti ab ipso commissam ut colligitur ex cit. leg. ult. in fin. Cod. de revocand. donat.

(14. Intelliga tamen dummodo ante mortem donatoris non fuerit lis contestata; quia si lis ab ipso ante suam mortem coeperit contestari; hæc actio transit ad ejus hæredes, quia in cit. leg. Injuriarum 13. in princip. ff. de injuriis, expresse dicitur, « semel autem lite contestata hanc actionem etiam ad successores pertinere; » et in tali casu eadem actio datur etiam contra hæredes donatarii; leg. Unic. Cod. ex delicto defuncti; ibi: « Post litem contestationem... successores in solidum, alioquin in quantum ad eos pervenit, conveniri absolutissimi juris est, » addita ibi ratione, ne alieno scelere ditentur. (15. Quinimmo hæredibus donatoris competit actio contra donatarium, et ejus hæredes, etiamsi donator absque lite contestata decesserit, vel quia ingratitudinem ignoravit, vel ad agendum tempus non habuerit, vel impeditus fuit, arg. a contrario sensu desumpto ex cit. leg. ult. de revocandis donationib. ubi dicitur, si donator tacuerit, et cit. cap. *Propter* 10. de donation. ubi dicitur, si donator tacuit, non competere actionem hæredibus. Qui autem ignoravit, vel tempus non habuit ad agendum, seu revocandum, vel impeditus fuit, non censetur tacuisse; Cap. *Exposuit* 4. de dilationib. et cap. *Cum veteri* 52. de election. adeoque jus revocandi donationem transmittit ad ejus hæredes, et ipsis datur contra donatarium, et ejus hæredes; Abbas in cit. cap. *Propter* n. 7. Joann. Andr. ibid. Silvester verb. *Donatio* 1. quæst. 14. Engel lib. 3. decretal. tit. 24. num. 20. Pirhing ibid. num. 38. Reiffenstuel ibid. num. 64. et alii passim.

(16. Dantur quædam donationes, quæ ob ingratitudinem donatarii revocari non possunt; et primo revocari non potest donatio remuneratoria; arg. leg. penul. § *Si quis*, juncta Glossa verb. Irrevocabilis; et leg. *Aquilinus* 27. ff. de donationib. et tradit Glossa in cit. leg. final. verb. *Inveniatur*, Cod. de revocand. donat. Abbas in cit. cap. *Propter* 10. de donat. n. 11. Barbosa ibid. num. 47. et communis aliorum, et ratio est, quia talis donatio non est proprie donatio, sed potius commutatio, seu compensatio meritorum, donatio enim proprie dicta debet esse mere liberalis; leg. in princip. ff. de donationib. (17. Secundo donatio facta Ecclesiæ, Monasterio, vel aliis piis locis revocari non potest ob ingratitudinem, Prælati, seu Administratoris, vel Capituli, vel utriusque simul; arg. Regul. 76. Juris in 6. ibi: « Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare; » et ratio est, quia donatio facta Ecclesiæ censetur facta Deo; unde ipse est donatarius, qui nunquam potest esse ingratus, cum

sit omnium honorum largitor; Jul. Clarus § *Donatio* quæst. 21. num. 5. Barbosa in cit. cap. *Propter* num. 13. et alii passim. (18. Tertio donatio facta ratione dotis non potest post contractum Matrimonium revocari ob ingratitudinem femine dotatæ, vel ipsius mariti; leg. *Si dotem* 24. Cod. de jure dotium, et leg. final. de dotis promission. ibi: « Liberalitas talis maneat vera, et irrevocabilis. » (19. Quarto revocare non potest donator donum a tertio, cui donatarius jam vendidit, donavit, vel in dotem dedit, etc. arg. leg. *His solis* 7. Cod. de revocand. donat. Et hoc ne ei ad quem res legitimo titulo pervenit, præjudicetur per factum alienum; nisi forsitan alienatio rei donatæ facta sit in fraudem donatarii sciente eo in quem alienatio facta est: cum fraus, et dolus nemini patrocinetur, juxta ea quæ traduntur ff. quæ in fraudem Creditorum. Engel lib. 3. decretal. tit. 24. n. 20. Pirhing ibid. n. 36. Reiffenstuel ib. n. 68. et alii passim.

(20. Secunda causa principalis, quod scilicet donatio revocari possit ob prolem postea susceptam, habetur expresse ex leg. *Si unquam* 8. Cod. de revocand. donation. ibi: « Si unquam libertis patronus filios non habens bona sua omnia, vel partem aliquam donatione largitus, et postea susceperit liberos, totum, quidquid largitus fuerit, revertatur in ejusdem donatoris arbitrio, ac ditione remansurum. » Quæ lex licet loquatur de sola donatione a Patrono libertis facta, communiter tamen a Doctoribus extenditur ad donationes a quocumque donante quibuslibet aliis personis extraneis, hoc est, quæ non sunt de numero liberorum, seu descendantium donatarii. Et ratio est, quia pia, et justa est præsumptio juris, donatorem prole carentem donationem magnam fecisse cum virtuali, vel tacita hac conditione, nisi mihi liberi nascentur, nemo enim censetur alienos, seu extraneos posteris suis, seu liberis præferre velle; Clarus § *Donatio* quæst. 22. num. 1. Molina tract. 2. disp. 282. num. 1. Engel loco cit. num. 17. Pirhing loco cit. num. 40. Reiffenstuel loco cit. num. 69. et alii communiter arg. leg. *Cum avus* 102. ff. de condit. et demonstrat. leg. *Cum acutissimi* 30. Cod. de Fideicommissis. (21. Et hoc idem venit dicendum etiamsi unica tantum postea nascatur proles, quia licet in cit. leg. *Si unquam* in numero plurali dicatur de liberis postea susceptis, appellatione tamen liberorum, etiam unicus comprehenditur filius; leg. *Non est* 108. ff. de V. S. quia eadem est ratio in uno solo, quæ in multis; licet enim quis unicum prolem habuisset, vel de ea cogitasset, non censetur donaturus fuisse, illique extraneum fuisse prælatorum; Pirhing loco cit. n. 41. Reiffenst. loco cit. num. 69. et alii passim.

(22. Limitatur tamen conclusio in donatione facta Ecclesiæ, vel ad aliam piam causam; nam tunc licet postea liberi nascentur, talis donatio non potest de jure revocari in totum, sed solum usque ad legitimam filiis jure naturæ debitam. Sic communis Doctorum. Et ratio patet a simili, quia donatio facta filio, si alii filii postea nascentur, non

revocatur in totum, sed solum quoad eorum legitimam; leg. *In totius* 5. et leg. *Si mater* 7. Cod. de inofficios. donationibus. Atqui Ecclesia, seu alia causa pia instar filii habetur, et utriusque causa est æque favorabilis, ut notant communiter Doctores; arg. Authent. *Si qua mulier*, Cod. de SS. Ecclesiis; ergo, etc. (23. In tali tamen casu, licet non ex obligatione justitiæ, ex æquitate tamen naturali, et quadam honestate spectaret ad populi ædificationem, ut natis postea filiis totum donatum restitueretur donatori, ut notant communiter Doctores, et præsertim S. Augustinus relatus in cap. *Quicumque* 43. caus. 17. quæst. 4. ibi: « Quam laudabile factum S. Aurelii Carthaginensis Episcopi! Quidam enim, cum filios non haberet, nec speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit Ecclesiæ: nati sunt ei filii, nec opinanti reddit Episcopus ea quæ donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere (præter legitimam) sed jure fori non jure poli, » scilicet non ex justitia, sed vel ex charitate, vel naturali æquitate, vel majori honestate. (24. Limitatur etiam conclusio in donatione remuneratoria, vel ob aliam causam facta in commodum ipsius donatarii; talis enim donatio revocari non potest, etiamsi post Donatori nascantur filii, ut tenent communiter Doctores, quia non est proprie dicta donatio ex mera liberalitate procedens, ut ad ipsam requiritur in leg. 1. in princip. ff. de Donation. sed est totius mercedis protestatio, seu meritorum compensatio, vel commutatio; adeoque irrevocabilis dicitur in leg. penult. § *Si quis* ff. de donationib.

(25. Tertia causa principalis, quod scilicet donatio revocari possit, si sit inofficiosa liberis, habetur expresse in leg. 1, 5, 7 et 8. Cod. de inofficios. donat. (26. Donatio enim inofficiosa, quæ, ut habetur tot. tit. Cod. de inofficios. donat. est illa quæ fit contra officium pietatis paternæ in filios, ut si pater, vel mater, uni vel pluribus filiis, aut etiam extraneis in tanta quantitate donavit, ut reliquis filiis legitima non remaneat, dat facultatem, seu jus reliquis filiis revocandi donationem usque ad eorum legitimam; leg. *Si totas* 5. leg. *Si mater* 7. et leg. 8. Cod. de inofficios. donat. Sive dein in unum, aut plures filios, sive in extraneos facta sit inofficiosa donatio; leg. 1. Cod. eod. ibi: « Sive in quosdam liberos, sive in extraneos exhausit. » (27. Jus revocandi inofficiosam donationem non competit solis liberis descendantibus, sed etiam parentibus, et ascendentibus; si nempe liberi eorum tam excessivas donationes faciant, ut non remaneat eis debita de jure legitima, casu quo præfati donatores absque liberis, seu nepotibus moriantur; leg. *Si Filius* 4. Cod. de inofficios. donat. Et ratio est, quia querela inofficiosæ donationis instituta est ad similitudinem querelæ inofficiosi testamenti; leg. ult. Cod. de inofficios. donat. Sed querela inofficiosi testamenti non minus ascendentibus, quam descendantibus, competit; leg. *Nam etsi* 15. ff. de inofficios. testament. ergo, etc. Et sic communis Doctorum.

(28. Donatio mortis causa proprie talis, etiamsi sit acceptata a Donatario, potest revocari ad libitum Donantis; Jul. Clarus, § *Donatio* quæst. 4, in fine; Menochius, lib. 3, præsumpt. 35, n. 21. Mascard. de probationib. conclus. 561, n. 6. Reiffenstuel, lib. 3. Decretal. tit. 26, art. 21, num. 698. et ipso teste communis aliorum per text. in § *Mortis causa donatio* 1. Institut. de donation. et in leg. *Ubi ita* 27. ac in l. *Non videtur* 32. ff. eod.

(29. Et id etiam verum est, quamvis intercesserit pactum, vel promissio de non revocanda tali donatione mortis causa facta. Sic citati Doctores, et alii per allegata jura. Et ratio est, quia de natura donationis mortis causa est, quod sit revocabilis usque ad mortem; cum Donator penitere possit et ad ipsum, si poeniteat, donatum revertatur, ut expresse statuitur in cit. § *Mortis causa donatio* 1. Institut. de donationib. et concordant aliæ citatæ leges, per quas clare innuitur, quod donatio facta cum pacto et promissione de ipsa non revocanda, non sit proprie donatio causa mortis, sed potius donatio inter vivos; « et ideo perinde haberi debet, atque alia quævis inter vivos donatio », textu expresso in cit. leg. *Ubi ita* 27. ff. de mortis causa donat. et nos loquimur, ut patet in conclusione de donatione mortis causa proprie tali.

(30. Nec valet objicere leg. *Si alienam* 13, § 1, et leg. *Senatus* 35, § 4, ad finem ff. de mortis causa donation. ubi dicitur, quod « sic quoque potest donari mortis causa, ut nullo casu sit ejus repetitio, id est nec si convaluerit quidem Donator. » Non valet, inquam, quia respondetur cum citatis Doctoribus, quod si ita donatur, jam hoc ipso non fit donatio mortis causa proprie talis, sed solum ita vocetur quia mors est causa impulsiva donandi, textu expresso in cit. leg. *Ubi ita*, ibi: « Ubi ita donatur mortis causa, ut nullo casu revocetur, causa donandi magis est, quam mortis causa donatio; » et concordant aliæ allegatæ leges, et consimiles.

(31. Quando nam donatio mortis causa ipso jure expiret, seu tacite revocata censeatur? Vide supra, art. 1, a n. 14, ad 18.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(32. Ut rectum feratur iudicium de revocatione donationis ob supervenientiam filiorum, videndum quam mente quis donaverit, et quanta in donatione contulerit bona, et cui demum donatum sit.

(33. Si donans expresse renunciaverit beneficio Legis *Si unquam*, cap. De Revoc. donat. quidquid sentiant nonnulli, in foro prævaluit opinio, quod non sit locus revocationi donationis ob supervenientiam filiorum. (34. modo tamen renunciatio non inter Clausulas generales sine manifesta filiorum mentione adjecta sit, (35. sed ita sit adjecta, ut de filiorum supervenientia perspicue et necessario cogitasse donans censeatur, Rota in Verulana Donationis, 29 Junii 1747. cor. Illustris. Clement. ubi quando renunciatio adjecta dici debeat inter Clausulas generales sine manifesta mentione filiorum, in Milevitana Canoniatuum, 12 Maji 1749, cor. eod.

(36. Eas donationes infirmat Imperatoris

Constitutio, quæ complectuntur vel omnia bona, vel partem aliquam facultatum. (37. Communi propterea Doctorum sententia constitutum est, ut ex ea lege in retractationem tantum veniat donatio universalis, vel quæ ei est proxima, (38. ingens et immo-dica, quum scilicet partem dimidiam aut tertiam excedit; Voet. in Comment. in Pandect. lib. 39, tit. 1. (39. Rot. in recent. decis. 326, n. 28, part. 11, et cor. Cris. 1, n. 3. aut etiam aliquando minorem, si liberorum adnatorum numerus et conditio præter qualitatem patrimonii ita suadeant; Fabr. in Cod. lib. 8, tit. 38, defiu. 9. Rot. in Milevitana Canoniatuum, 12 Maji 1749, § 8. coram Illustrissimo Clem. impress. Romæ, 1781, apud Barbiellini.

(40. An et quando donatio juris patronatus obnoxia sit revocationi ob supervenientiam filiorum, vide apud Rot. in Aarinen. Parochialis de Fea super pertinentia patronali, 10 Decemb. 1727, et 26 April. 1728. cor. clarem. Corio, et in Brietnorien. Donationis, 7 Junii 1736, et 17 Junii 1737. cor. fel. Regnante Summo Pontifice Clemente XIII. impress. per Barbiellini.

(41. Plurimam demum postulat animadversionem conditio donatarii. (42. Nam si unum ex filiis donatum, non inde ex aliorum supervenientia revocatur donatio, nisi appareat inofficiosa, et tunc quidem nec in universum, sed pro ea tantum parte, quæ contra paternæ pietatis officium exhaustit legitimam aliis filiis ex jure naturæ debitam, qua quidem subducta, maneat in reliquo donatio; Vinn. select. jur. quæst. l. 2, cap. 35. Rot. in dict. Milevitana Canoniatuum, 12 Maji 1749, § 9. cor. Illustriss. Clement.

(43. Quod dicitur de donatione facta filio, id dici nequit de donatione facta Ecclesiæ: nam quidquid cum aliis asserat Auctor num. 22. in eam communiter itum est sententiam, revocari donationem factam Ecclesiæ ob supervenientiam filiorum; Clar. § *Donatio* quæst. 23, num. 2. Zoef. in Pandect. lib. 39, tit. 5, num. 127. Voet. in Comment. ad pandect. lib. 39, tit. 5, num. 33. Tulden. ad tit. Cod. de Revoc. donat. num. 4. optime Anton. Matthei select. disput. 9, ad leg. *Si unquam*, Cod. de Revocanda donat. thes. in fine.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(44. Oritur quæstio circa revocationem donationis ob supervenientiam liberorum, an præcedens donatio irrita sit ipso jure, an vero opera hominis indigeat, adeo ut in suo robore maneat, si a Donante expresse non revocetur. (45. Affirmant alii, alii negant, omnesque super verbo legis *revertitur* instituunt quæstionem. (46. Illi, qui tenent, ad revocandam donationem opus esse hominis opera, firmant verbum illud esse futuri temporis non præceptivum, quod requiritur, ut secluso hominis ministerio donatio ipso jure nulla remaneat. (47. Alii vero tenent verbum allatum imperativi temporis esse, ideoque absque facto hominis donationem irritam ipso jure remanere. (48. Controversiam hinc inde perpexit et secundam sequitur opinionem, Perez. in Cod. tit. de

revocand. donat. 56, lib. 8, n. 29. Clar. in § *Donatio* quæst. 23, num. 8. Rot. in recent. part. 3, decis. 591, num. 3.

(49. Ex his aliæ excitari potest quæstio, an jus irritam nullamque declarandi donationem transeat ad filios a Donante natos. (50. Si donatio ex magis communi opinione nulla ipso jure remanet absque facto hominis ob supervenientiam liberorum, sequi necessario videtur, quod hoc jus etiam in filios transeat, quibus vix natis, immo conceptis jus quæsitum jam erat, et ex benigna legis interpretatione, quæ præsumit, (51. Donantem diligere magis filios quam extraneos, ideoque per neglectam a Donante revocationem non censetur sublatum jus filii donantis super donatis bonis quæsitum, non tamen uti simpliciter filiis, quo casu modicum haberent pro modo legitimæ, sed jure hæreditario. (52. Ita sentit Godef. in not. ad leg. *Si unquam* 8. Cod. de revocand. donat. lit. A. Cujac. oper. post seu in Cod. Justinian. tit. de revocand. Donat., tom. 5, pag. juxta edit. Neapol. 1406, lit. B. « Ergo et liberis, quos postea suscepit dabitur donationem revocare, si ei hæredes extiterint jure hæreditario non proprio, quia jure proprio immodicam donationem a Parente factam non revocant in solidum, sed pro modo tantum legitimæ portionis. » Idem sentit Zoes., in Cod., tit. eod., quæst. 16, et concludit idem Perez, loco cit., num. 30.

(53. Alii vero per contrariam amplectentes sententiam duos distinguunt casus, quando Donator habuit revocandæ donationis spatium, quando vero non. (54. Secundo casu concedunt filio jus revocandæ donationis, primo autem casu si Donator potuit revocare, et non revocavit, donatio in suo robore manet etiam in præjudicium filiorum; qui nil aliud a bonis Paternis consequi præter legitimam poterunt. Alex. et cæteri collecti per Tyraquel. ad leg. *Si inquam*, verb. *susciperit liberos* num. 21, et 22. Clar. in d. § *Donatio* quæst. 23, num. 10. Bruneman, ad eand. leg. Cod. eodem, num. 5. Card. de Luc., de Donat. disc. 20, num. 4.

(55. Rectius tamen distinguit *S. Rota Romana* in recent., part. 3. dec. 591. quod neglecta a Donante Donationis revocatio eo demum casu filiis natis obesse possit, quo Donans in possessione bonorum donatorum non reperitur, quia tunc acquiescens Donatarius in possessione manere, videtur renunciare beneficio revocationis, quod ei tantum a legibus expresse conceditur. Cujac. ubi supr. litt. C. Donell. ad dict. leg. num. 9, et Zoes. ubi supra. Secus autem est dum Donans Donatarius numquam in bonorum donatorum immisit possessionem. (56. Hoc quippe casu cum per supervenientiam liberorum irrita remanserit ipso jure donatio, nec Donans a se possessionem abdicaverit, ut donatio effectum sortiretur, nova intercedere deberet declaratio favore Donatarii. Rot. de Salvian. interdict. coram Falconer. decis. 9, num. 9.

(57. Quæritur tamen, an hujusmodi donatio per supervenientiam liberorum ipso

jure revocata per obitum eorundem ante Donantis mortem reconvalescat, et constanter negant. Cujac. Donell. Zoes. locis supra citatis. (58. Hoc enim revocandi privilegium legitur Patri Donanti concessum non ob filios, vel eorum favore, sed quia tacite lex præsumit; sub ea conditione donatum fuisse, quatenus filii non nascerentur.

(59. Quod filiis querela inofficiosæ donationis competat, ut in testamentis, in dubium nequit revocari. (60. At effectus inofficiosæ donationis querelæ, ab effectu querelæ inofficiosi testamenti longe diversus est. Secundo casu in totum irritatur testamentum, primo vero casu querela inofficiosæ donationis rescindit tantum quod deest portio legitimæ liberorum. Cujac. loc. cit. lit. A. et Bruneman. loco citat. num. 6.

(61. Sed dubitari potest an hæc querela transeat ad Nepotes, et transire firmat text. in leg. 34 et 36. Cod. de inoffic. testam. (62. Excipiendi tamen casus, de quibus in dicta lege, quod nempe Pater fuerit exhæredatus 2, quod repudiaverit, vel renuncia-verit querelæ 3, quod acquirerit quinquennio non a die obitus donantis, sed a die aditæ hæreditatis, ut in allegat. leg. 36. Nec rem mutat, quod dictæ leges de inofficiosis testamentis, non de inofficiosis donationibus procedant. (63. Ad hunc enim effectum pari passu procedunt donationes et testamenta. Leg. 19, Cod. de inoffic. donat. ibique Glos. verb. *temporibus* et *Paulus de Castr.*

ARTICULUS IV.

EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

Donatio particularis quoad æs alienum.

Additionum limites excederem, si omnia, quæ super hoc juris articulo desunt, et a Doctoribus traduntur, hic adjungere vellem, ideo unam tantum eligam quæstionem, quæ, meo quidem iudicio, singularis est, et a fere omnibus maxima cum admiratione conspicitur omissa. (1. Omnes una voce tenent successorem singularem, qualis est Donatarius particularis, ad æs alienum Donantis non teneri, sed hoc unus esse successoris universalis, ut omnibus notum est. (2. Quid tamen dicendum, si pro ære alieno res particulariter donata alicui sit specialiter obligata? Hæc ea est singularis quæstio, quam expendendam proponimus.

(3. Aliud sane, et longe diversum est quod Donantis patrimonium sit favore Creditorum generaliter obligatum, aliud vere, quod certum, et determinatum corpus ejusdem patrimonii sit alicui particulariter obligatum. Primo casu a communi Doctorum opinione non dissentio, iisdem tamen in secundo casu assentiri non possum. (4. Hujus meæ opinionis fundamentum ex celebri l. æris alieni 15. Cod. de donat. desumo. « Æris alieni, quod ex hæreditaria causa venit non ejus, qui donationis titulo possidet, sed totius juris successoris onus est. Si itaque nemini obligata prædia per donationem consecuta es, supervacuum geris sollicitudinem, ne vel